



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniæ Agrippinæ, 1602

Ex charitatis officijs in inuidiam vocatur. II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

cio, vbi sese ad homines iuūādos trā-  
tulit, & contentius agere coepit, odij  
& inuidiæ aculei qui excussi videban-  
tur, denuò in ipsū emissi sūt, sicut pau-  
lò post explicabo. Quæ dicta sint, vt  
robur Ignatij, & animi in studijs con-  
tentio magis eluceat.

## EX CHARITATIS OFFICI-

*in inuidiam vocatur.*

## CAPVT II.

**S**tudiorum tempore, non studijs  
solum dabat operam, sed etiam  
commouēdis vitæ exemplo scho-  
lasticorum animis, & consilio moni-  
tisque ad Christum adducendis. Nam  
& antequā ad Philosophiæ studiū ag-  
grederetur, nonnullos honestos iuue-  
nes, ingenio & doctrina præstantes, i-  
ta inflammavit, vt continuo rebus o-  
mnibus se abdicarent. In ipso autem  
Philosophiæ cursu, ab hac (vt diximus)  
iuuandi alios occupatione, quasi mi-  
nus propria & studijs apta ferè abstin-  
ebat. Cursu verò peracto, optimos  
quosque, & ad cultum cælestis doctri-  
næ appositissimos adolescentes, ita ad  
hanc perfectionis disciplinam incita-  
uit, vt in eius ex Lutetia discessu, pluri-

mi



12 VITAE IGNATII

mi eius familiares, rebus omnib. nō  
 cium remitterent, & in sacrae Religio-  
 nis portum sese conferrent. Nemp-  
 vsque eò diuini amoris ardore incen-  
 sus erat Ignatij animus, vt quocunq-  
 accederet, quo ipse ardebat igne, ho-  
 minum mētes faciliè accenderet. Sem-  
 per tamen virtutis illius comes erat  
 inuidia. Ex quo magnę Lutetię tempe-  
 states in illum sunt concitatae. Nam cū  
 Ignatij opera, Hispani quidam eam  
 morum vitæq; mutationem fecissent,  
 vt omnia bona sua pauperibus largi-  
 rentur, stipem ipsi ostiatim rogarent,  
 & suis domibus relictis, in diui Jacobi  
 hospitali domo diuersarentur: eius rei  
 fama sēsīm spargi primū cœpta est.  
 deinde hominū sermonibus ita per-  
 crebuit, vt omnem academiā Parisi-  
 ensē peruaderet, & varijs in vtram-  
 que partem opinionibus oppleret. Hi-  
 spani quidē certē nonnulli, homines  
 nobiles, & cum hisce Ignatij iam tum  
 discipulis amicitia necessitudineq; cō-  
 iuncti, hoc factum illorum molestissi-  
 mē tulerūt. Quamobrem ad eos cele-  
 riter veniunt; homines, domū suam vt  
 redeant, horrantur; contendunt preci-  
 bus, vrgent minis, omnia miscent; per-  
 suadere tamen nō possunt. Tū verò ira  
 perciti,



perciti, armati multi, homines vi ab-  
strahūt; in eā oppidi partē, in qua Aca-  
demia est, pertrahunt; id tandem ex-  
torquent, suis vt studijs finē imponāt,  
animo suo deinceps obsequātur. Cū  
autem eiusmodi consiliorum auctor  
Ignatius haberetur, in summa offen-  
sione apud multos erat. In ijs Petrus  
Ortizius, eruditionis laude florens, rei  
novitate fortasse permotus est, vt eius  
doctrinam, de qua tam multa in vtrā-  
que partem iactari audiebat, exami-  
nandā, interiusque etiam perspicien-  
dā curaret. Itaq; accusatus est apud fi-  
dei Inquisitorē Ignatius. Quod simu-  
latq; ille intellexit, nulla mora inter-  
posita, vtrō ipsi iudici se sistit. Is tū e-  
rat eruditus quidam grauisq; Doctor,  
Mattheus Ori, ex Dominicana familia  
Theolog<sup>9</sup>. Huic Ignatius, quid audie-  
rit, narrat; se, siue verū id sit, siue quid  
ipse aliud velit, præsto esse, vt sui ratio-  
nē reddat. Iudex tranquillo animo ho-  
minē esse iubet; eius quidem nomen  
ad se delatum, nihil tamen sibi videri  
cur timeat. Aliās item, cū studijs iā  
confectis, iter ille instaret in Hispa-  
niam necessarium, renunciatum est  
Ignatio, inquisitum criminose in e-  
ius vitam esse, rem ad fidei Inquisitorē  
de-



delatam Quod ille audiens, nihil sibi  
 cunctandum ratus, iudicem ipsum cō-  
 uenit: illud etiam atque etiam orat,  
 causam vti cognoscat, proque verita-  
 te sententiam ferat. Sc quidem nō es-  
 se iam solū, sed habere socios, de quo-  
 rum fama, atque existimatione labo-  
 ret: non esse integrū sibi, rem tantam  
 negligere, & proficiscentem in Hispa-  
 niam, falsos inanesque rumores de se-  
 se dissipatos relinquere. Negat iudex  
 crimē vllum in accusatione esse, quod  
 Ignatio sit extimescendum; vana que-  
 dam, atq; inania, hominum vel erro-  
 re vel improbitate iactata, continet  
 ait, quæ quod falsa ipsemet intellige-  
 ret, se ne Ignatium quidem appellasse:  
 cupere tamen se Exercitationum spi-  
 ritualium eius librum legere. Quem cū  
 legisset, ita probauit, vt eius describē-  
 di peteret sibi fieri potestatem. De cau-  
 sa tamen iudicanda, cū aut procras-  
 tinare Ignatio, aut dissimulare vide-  
 retur, ne veritas mendacij tenebris de-  
 mersa iaceret, publicum scribam ad iu-  
 dicem adducit: testes vocari iubet: po-  
 stulat suæ innocentiae testimonium.  
 Quod iudex veritati dedit: in tabulas  
 scriba retulit: Ignatius scriptum acce-  
 pit, vt cōtra falsi criminis infamiam,  
 si quan-



si quando opus esset, hac videlicet re-  
stificatione vteretur. Autores habeo  
ex nostra Societate idoneos atque gra-  
ues, qui Ignatij factum quoddam re-  
ferunt, ad rem qua de agimus maximè  
pertinens; quod quidem ego, tametsi  
in alia libelli huius editione præterij,  
propterea quòd Ignatius ipse in nar-  
ratione de vita sua illud prætermisit,  
tamen scribendum nunc putavi. Est e-  
nim Ignatij moribus consonum, eius-  
que animi fortitudini, atque prudètiæ  
valde consentaneum. Narrant igitur  
ij patres, eo ipso tempore, quo Ignati-  
us nudis pedibus, ieiunus, tanto chari-  
tatis ardore incensus, Rhotomagum  
profectus est, vt eum hominem, qui  
pecunia ipsum fraudauerat, iacètem  
in lecto erigeret, atque afflictum re-  
crearet (quemadmodum lib. 5. dicam) *lib. 5. c. 2.*  
apud fidei quæsitorem tunc accusatū,  
falsosque rumores per totam Acade-  
miam Parisiensem dissipatos, multūq;  
de illius bona existimatione apud im-  
peritos fuisse detractum. Alij enim i-  
psam ex conscientia fugisse affirma-  
bant; alij vanam illam hominis sancti-  
tatis speciem atque ostentationem e-  
rupisset tandem, & in nihilū recidisse,  
nimiaque omnia atque extrema tum  
suspicio.



Cuspiciosa esse, tum periculosa: alij alia  
 pro suo quisque sensu atque affectu  
 loquebantur. Ea amicus quidam ad  
 Ignatium scripsit, & ipsum de omni-  
 bus que vulgo iactabantur, peraman-  
 ter certiore fecit. Accepit amici lit-  
 teras Ignatius Rhotomagi, in pla-  
 tea fori consistens, atque è vestigio,  
 publico Scribæ coram testibus acci-  
 to, litteras quas à tabellario accepe-  
 rat ostendit, docetque hominem, si-  
 mul atque eas legisset, neque in ho-  
 spitium reuersum, neq; cum villo mor-  
 talium locutum, sese in viam dare, &  
 Lutetiam Parisiorum regredi statuis-  
 se. Atque huiusce rei testimonium  
 à Scriba petit, quo ipso, & testibus  
 prosequentibus, Rhotomago egres-  
 sus est. Lutetiam ingressus, nihil pri-  
 us habuit, quam rectà ad fidei inqui-  
 sitorem pergere: illi fideliter simpli-  
 citerque exponit, quid Rhotomagi a-  
 micorum litteris cognouisset, quid  
 ad falsam illam depellendam su-  
 spicionem fecisset; seque  
 (ait) totum in eius  
 potestate fo-  
 re.

FIRGA